

tualem regenerationem, non potest participare divinas operationes. Oportet ergo quod primum donum, quod gratis homini infunditur, hunc habeat effectum, ut ipsam essentiam animae in quoddam divinum esse elevet, ut idonea sit ad divinas operationes: & ideo quia unumquodque simpliciter dicitur quod per prius dicitur, sicut substantia ens; ideo tale donum quod essentiam animae nobilitat, principaliter gratia vocatur: tum etiam quia non determinatur per aliquem specialem actum, unde speciale nomen sortitur; & ideo proprie & per se gratia respicit essentiam animae sicut subjectum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis gratia sit in essentia animae sicut in subjecto, non tamen sequitur quod intercedat media inter potentiam & essentiam, nisi esset ejusdem ordinis, scilicet ut sicut gratia esset ab essentia, ita potentia a gratia; per quem modum potentia cadit media inter essentiam & operationem. Sed hoc non est ita: quia potentia non est, per gratiam, sed per naturam: unde obiectio non procedit.

Ad secundum dicendum, quod sicut potentia non habet quod sit principium talis operationis, nisi secundum quod manat a principiis talis essentiae; ita etiam perfectio potentiae habet quod informer actum ex virtute gratiae perficientis ipsam essentiam: & ideo gratia non tantum dicitur gratificans essentiam animae, sed etiam opus gratum reddens, non quidem sicut proximum informans, sed sicut primum, quod naturam in altius esse elevat.

Ad tertium dicendum, quod inter potentias animae, voluntas, (1) vel liberum arbitrium, maxime communis est, eo quod ejus imperio actus aliarum potentialium subjaceant, ut dictum est: & quia gratia non respicit aliquem determinatum actum, cum sit in essentia, quae ad nullam operationem determinatur; ideo gratia immediatius voluntatem, vel liberum arbitrium respicit, cum omnes actus gratia informati quodammodo sint voluntatis, & liberi arbitrii. Non tamen sequitur quod sit in voluntate, vel libero arbitrio sicut in subjecto; sed ex gratia voluntas, & liberum arbitrium habet ut in actum meritorium (2) educere possit.

Ad quartum dicendum, quod culpa actualis non est per infusionem, vel immissionem; sed per aliquem determinatum actum nobis advenit: & quia omnis operatio respicit determinatam potentiam, quae est ejus principium, inde est quod culpa per prius est in potentia quam in essentia animae. Gratia autem non acquiritur per actus nostros, sed a superiori infunditur: unde illud quod superius animae est, scilicet essentiam, quae est origo omnium potentialium, per prius respicit.

Et per hoc etiam patet responsio ad quintum: quia habitus acquisiti per actus nostros aggenerantur, & ita ad potentiam immediate pertinent: unde magis proportionantur virtuti quam gratiae. Similiter & culpa immediatius virtuti quam gratiae opponitur, secundum quod in actu consistit.

(1) Nicolai hic, & infra semper omittit vel liberum arbitrium. (2) Vel elicere, producere. (3) Ad principia gratiae.

ARTICULUS IV.

Utrum gratia sit virtus.

1. 2. quest. cx. artic. 3. & de ver. quest. xxvii. art. 2.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod gratia sit virtus. Cum enim sit in genere accidentis, ad nullum genus reduci potest nisi ad qualitatem, nec inter qualitatis species, nisi ad primam, ut deducendo in singulis patet. Erig igitur gratia vel scientia, vel virtus. Non enim inter habitus, vel dispositiones corporales computatur. Sed constat quod non est scientia. Ergo de necessitate est virtus.

2. Præterea. Philosophus in VII. Physic. text. xvii. dicit, quod virtus nihil aliud est quam dispositio perfecti ad optimum. Sed (3) præcipue id gratiae competit, quae animam quam perficit, ad optimum disponit, scilicet ad ultimum finem. Ergo ipsa est virtus.

3. Præterea. In X. Ethic. cap. xiv. Philosophus dicit, quod hoc est virtus uniuscujusque quod bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Sed gratia bonam facit animam, & opus ejus, cum utrumque gratificet; nec aliquid Deo possit reddi acceptum, nisi per hoc quod bonum sit. Ergo videtur quod gratia sit virtus.

4. Præterea. In littera dicitur ab Augustino, loco ibi citato, quod gratia præveniens est fides per dilectionem operans. Sed fides est virtus. Ergo & gratia.

5. Præterea. Caritas dicitur esse forma omnium virtutum, & mater. Cum igitur informatio virtutum sit per gratiam, per quam opera meritoria redduntur, videtur quod gratia sit idem quod caritas. Sed caritas est virtus. Ergo & gratia.

Sed contra. Omnis virtus est sicut in subjecto in aliqua determinata potentia. Gratia autem non, sed essentiam animae respicit. Ergo videtur quod gratia non sit virtus.

Præterea. Illud in quo conveniunt diversa in specie, & illud in quo eadem distinguuntur, non possunt esse idem per essentiam. Sed omnes virtutes conveniunt in hoc quod est opera meritoria reddere; distinguuntur autem in hoc quod determinatos actus educunt. Ergo illud quod est principium merendi, est aliud per essentiam ab eo quod est principium distinctionis actuum. Sed principium merendi est gratia, ut in littera dicitur; principium autem distinctionis in actu, est determinata species virtutis: quia qualis est virtus, tales habitus reddit. Ergo gratia, & virtus per essentiam differunt.

SOLUTIO.

Respondet dicendum, quod circa hoc sunt diversae opiniones. Quidam enim dicunt, quod gratia, & virtus sunt omnino idem per essentiam secundum rem; sed differunt tantum ratione: quia gratia dicitur secundum quod Deo hominem acceptum reddit, virtus autem dicitur secundum quod est principium recti operis. Sed hoc non videtur conveniens; quia si virtus ab eodem haberet quod esset virtus, & quod gratum

(1) Nicolai hic, & infra semper omittit vel liberum arbitrium. (2) Vel elicere, producere. (3) Ad principia gratiae.

Deo redderet, oporteret quod omnis virtus hoc faceret; & cum quaedam virtutes per actus acquirantur, sequeretur secundam haesim Pelagii, quod ex libero arbitrio homo gratus Deo efficeretur. Si autem ab alio habet quod sit virtus, & quod gratum Deo reddat, oportet quod gratia, & virtus non sint omnino idem secundum rem: diversis enim effectibus qui divisim inveniuntur, diversa principia respondent.

Et ideo alii dicunt, quod virtus, & gratia realiter differunt, non ita quod sint diversa per essentiam, sed quod ex gratia, & virtute efficitur unum sicut ex forma, & eo cujus est forma: dicunt enim, quod hoc modo se habet gratia ad virtutem sicut lumen manifestans colorem ad colorem ipsum: unde sicut lumen efficitur quodammodo unum cum colore existente cum eo in eodem subjecto; ita etiam dicunt, quod gratia unitur virtuti in eodem subjecto, ut informans ipsam. Ponunt enim quod, proprie loquendo, subjectum gratiae est potentia. Sed istud etiam non videtur conveniens. Quia cum dicitur, quod ex lumine, & colore efficitur unum, aut accipitur lumen quod est de compositione coloris, cum hypostasis coloris sit lux; & sic rediretur in primam opinionem, scilicet quod gratia, & virtus essent idem secundum rem: non enim lumen quod est de compositione coloris, re differt a colore. Aut accipitur lumen quod est in aere circumstante; & hoc constat quod in alio subjecto est a colore, & per essentiam ab eo differt. Similiter etiam si accipiatur lumen, prout participatur in superficie corporis terminati, in qua est color, de necessitate per essentiam a colore differt: quod patet ex hoc quod adveniente, & recedente lumine, nihilominus color idem manet, quod non esset, nisi per essentiam differret a colore. Similiter etiam oportet quod vel virtutes efficiantur Deo gratæ per aliquod a Deo influxum; & sic oportet id per essentiam differre a virtute, cum etiam quaedam virtutes infusæ, ut fides, & spes, recedente gratia remaneant informes; vel oportet quod virtutes Deo sint gratæ sine hoc quod aliquid addatur a Deo infusum: & sic vel gratia nihil creatum in anima ponet, vel nihil aliud realiter a virtute distinctum.

Et ideo alii dicunt, quod gratia essentialiter a virtute differt. Oportet enim perfectiones perfectibilibus proportionatas esse: unde sicut ab essentia animae fluunt potentiae ab ipsa essentialiter differentes, sicut accidens a subjecto, & tamen omnes uniuatur in essentia animae ut in radice; ita etiam a gratia est perfectio essentiae, ut dictum est, & ab ea fluunt virtutes quae sunt perfectiones potentialium, ab ipsa gratia essentialiter differentes, in gratia tamen conjunctæ sicut in sua origine, per modum quo diversi radii ab eodem corpore lucente procedunt. Et hoc secundum prædicta convenientius videtur.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia ad genus qualitatis reducitur, & ad primam speciem qualitatis; nec proprie tamen naturam habitus habet, cum non immediate ad actum ordinet; sed est velut habitudo quaedam, sicut sanitas se habet ad corpus. Et ideo dicit Chrysostomus (2) hom. xvi. quod gratia est sanitas mentis: unde non computatur nec inter scientias, nec inter virtutes, nec inter alias

In II. Sent. Tom. II. Ex Edit. P. Nicolai. (a) Citat quoque Albertus Magnus in hunc locum, ut & S. Bonaventura in eundem: uterque sine certo indice indefinite tantum; nec ullibi expresse sub his verbis occurrit, etsi quantum ad sensum ex illius Comment. in Psal. iv. & vi. & hom. iv. de poenitentia, & hom. xi. in Epist. ad Philipp. colligi potest, & ex aliis passim locis.

qualitates, quas Philosophi numeraverunt; quorum non fuit tractare nisi habitus naturales, & acquisitos.

Ad secundum dicendum, quod virtus dicitur dispositio perfecti ad optimum, in quantum elicit operationem, per quam res suum finem consequitur; unde per hunc modum gratia non est dispositio perfecti ad optimum, cum non primo operationem respiciat sicut effectum proximum, sed potius esse quoddam divinum quod animae confert.

Ad tertium dicendum, quod bonitas quam virtus habenti confert, est bonitas perfectionis in comparatione ad opus; sed gratia confert animae perfectionem in quodam divino esse, & non solum respectu operis, secundum quod quodammodo gratiam habentes deiformes constituuntur, propter quod, sicut filii, Deo grati dicuntur.

Ad quartum dicendum, quod gratia præveniens dicitur fides, non quod per essentiam gratia a fide non differat, sed quia in justificatione quam gratia causat, primus motus fidei invenitur: & ideo cum habitudines, & habitus per effectus nobis innotescant, illud in quo primo gratia manifestatur, est fides: & propter hoc fidem gratiam prævenientem dicit.

Ad quintum dicendum, quod caritas alio modo dicitur forma virtutum quam gratia. Caritas enim est forma virtutum ex parte actus, in quantum scilicet omnes actus virtutum in suum finem convocat, eo quod ejus obiectum est finis ultimus. Sic enim est in omnibus potentiis, & actibus ordinatis, quod illa quae altio rem finem respicit, largitur formam arti quae sub ipsa est, cujus actus in suum finem ordinatur; sicut patet, quia gubernator ostendit factori navis, qualis debeat esse forma remonis. Unde caritas informat alias virtutes, sicut virtus virtutem; sed gratia informat per modum originis, quia scilicet ex ipsa gratia quodammodo formaliter oriuntur habitus virtutum, per diversas potentias diffusi. Illud autem quod ab alio oritur, formam, & speciem ab eo trahit, & in suo vigore consistit, quamdiu origini continuatur: & ideo non oportet quod gratia sit idem quod caritas, quamvis caritas numquam possit esse sine gratia.

ARTICULUS V.

Utrum gratia dividatur convenienter in gratiam operantem, & cooperantem.

1. 2. quest. cxi. art. 2.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter gratia per operantem, & cooperantem dividatur. Quia, ut dictum est, gratia non per se respicit opus. Sed unumquodque dividendum est secundum hoc quod sibi per se convenit: ut in VII. Metaph. text. xliii. dicitur. Ergo videtur, cum operans, & cooperans respectu operis dicantur, quod inconvenienter gratia per hæc duo distinguatur.

2. Præterea. Si gratia est operans, oportet quod aliquid in anima operetur. Aut ergo seipsam, aut aliquid aliud. Sed seipsam non facit, cum nihil sui

ip- Ex Edit. P. Nicolai. (a) Citat quoque Albertus Magnus in hunc locum, ut & S. Bonaventura in eundem: uterque sine certo indice indefinite tantum; nec ullibi expresse sub his verbis occurrit, etsi quantum ad sensum ex illius Comment. in Psal. iv. & vi. & hom. iv. de poenitentia, & hom. xi. in Epist. ad Philipp. colligi potest, & ex aliis passim locis.

ipsius causa sit; nec est signare aliquid aliud quod in anima operetur. Ergo videtur quod inconvenienter aliqua gratia operans dicatur.

3. Præterea. Nullum opus est tantum gratiæ quod etiam liberi arbitrii non sit. Si ergo gratia cooperans dicitur per hoc quod simul cum libero arbitrio operatur, videtur quod gratia quælibet cooperans dici debeat.

4. Præterea. Illud quod cooperatur alicui, non se habet sicut principale in operatione. Sed in omni operatione in qua liberum arbitrium, & gratia conveniunt, gratia principale obrinet. Ergo inconvenienter gratia cooperans nominatur.

5. Præterea. Augustinus dicit in *Lib. de natura & gratia* cap. xxxi. quod gratia prævenit, ut pie vivamus, & subsequitur, ut semper cum illo vivamus: (1) & nunc prævenit, ut vocemur, & tunc subsequitur, ut glorificemur: & illa gratia præveniens statum præsentis vitæ respicit, & gratia subsequens statum gloriæ. Cum igitur operans, & cooperans ad præsentem vitam pertineant, videtur quod gratia operans, & cooperans non sint idem quod præveniens, & subsequens, ut Magister innuit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod gratia habet in nobis diversos effectus ordinatos. Primum enim quod facit, est hoc quod dat esse quoddam divinum. Secundus autem effectus est opus meritorium, quod sine gratia esse non potest. Tertius effectus est præmium meriti, scilicet ipsa vita beata, ad quam per gratiam pervenitur. In actibus etiam est quidam ordo: quia primum est opus interius voluntatis; secundum est opus exterius quo voluntas completur: & secundum hoc quandoque Augustinus diversimode videtur accipere gratiam prævenientem, & subsequentem: quia considerato ordine meriti ad præmium, quod sequitur, nominat gratiam prævenientem, quæ principium est merendi; gratiam vero subsequentem, ipsum habitum gloriæ, qui in nobis beatam vitam efficit, ut patet in auctoritate inducta. Secundum vero ordinem actus interioris ad exteriorem, ponit gratiam prævenientem, quæ causat motum bonæ voluntatis, gratiam vero subsequentem, quæ opus exterius complet: unde dicit, quod prævenit voluntatem, ut velit bonum; & subsequitur, ut compleat, sive (2) perficiat: & sic in litera quasi per totum videtur accipere prævenientem, & subsequentem. Secundum vero ordinem esse quod dat ad actum, qui est operatio, sic ponit gratiam prævenientem quæ animæ quoddam esse salubre confert, & gratiam subsequentem quæ opus meritorium causat: unde dicit, quod prævenit, ut sanemur; & subsequitur, ut sanati negotiemur. Sed distinctio gratiæ operantis, & cooperantis proprie accipitur tantum prout pertinet ad statum vitæ præsentis: unde dupliciter distingui potest. Uno modo ut per gratiam operantem significetur ipsa gratia, prout esse divinum in anima operatur, secundum quod gratum facit habentem; & per gratiam cooperantem significetur ipsa gratia secundum quod opus meritorium causat, prout opus hominis gratum reddit. Alio modo secundum quod gratia operans dicitur, prout causat voluntatis actum; & cooperans, secundum quod causat exteriorem actum, in quo voluntas completur, per perseverantiam in illo. Et utroque modo cooperans, &

(1) Nicolai omittit & nunc, item & tunc. (2) Al. persistat.

operans dicitur idem quod præveniens, & subsequens.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis non immediate gratia ad opus referatur, tamen est per se causa operis meritorii, licet mediante virtute: & ideo non est inconveniens, si per operantem, & cooperantem distinguatur.

Ad secundum dicendum, quod gratia operans secundum unam acceptionem dicitur operari in anima, non effective, sed formaliter, secundum quod quælibet forma facit esse aliquid in subjecto, sicut albedo facit esse album: unde per hunc modum gratia dicitur operans, quia formaliter hominem Deo gratum facit. Secundum vero aliam acceptionem dicitur operans effective, secundum quod habitus effective causat opus: ita enim gratia totum meritorium voluntatis operatur, eliciendo ipsum, licet mediante virtute, propter quod operans dicitur.

Ad tertium dicendum, quod si accipiatur gratia operans secundum primam acceptionem, tunc planum est quod effectus quos operatur formaliter, ipsa sola operatur: sicut enim sola albedo formaliter facit album parietem, ita sola gratia formaliter gratum facit. Sed secundum aliam acceptionem verum est quod ipse motus voluntatis non est à gratia sine libero arbitrio: & tamen quia se habet gratia ut principale, quia inclinatur in talem actum per modum cuiusdam naturæ, ideo ipsa sola talem actum dicitur operari, non quod sine libero arbitrio operetur, sed quia est principalior causa, sicut gravitas dicitur operari motum deorsum.

Ad quartum dicendum, quod si dicatur gratia cooperans, secundum quod causat quemcumque motum, vel extrinsecum, vel intrinsecum; sic dicitur cooperans, non quia non sit principalis causa in agendo, sed quia liberum arbitrium ministrat substantiam actus, & à gratia est forma per quam meritorius est: unde illud quod gratia ministrat, est sicut ultimum complementum: & propter hoc dicitur cooperans, quasi complens illud quod per liberum arbitrium ut præiacens exhibetur. Si autem accipiatur cooperans prout respicit actum exteriorem tantum, sic dicitur cooperans, non propter principalitatem liberi arbitrii ad gratiam, sed propter principalitatem actus ad actum: actus enim interiores in moralibus potiores sunt exterioribus, ut in X. Ethic. cap. xii. Philosophus dicit: unde convenienter gratia, secundum quod causat principalem actum, dicitur operans, & secundum quod causat secundarium, dicitur cooperans.

Ad quintum dicendum, quod quamvis quantum ad illum modum acceptionis gratiæ prævenientis, & subsequentis, operans, & cooperans prævenienti, & subsequenti non respondeat; tamen secundum alias acceptiones penitus idem sunt: & hoc modo Magister in littera sumit.

ARTICULUS VI.

Utrum gratia sit multiplex in anima:

De ver. quæst. xxvii. art. 5.

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod gratia in anima multiplicetur. Divisiones enim gratiarum sunt, ut I. Corinth. xii. dicitur. Sed divisio est causa numeri, & multitudinis: unde secundum

dum Isidorum (a) numerus dicitur quasi nutus memoris, id est divisionis. Ergo videtur quod in una anima inveniantur multe gratiæ.

2. Præterea. Non potest idem esse prius & posterius, præcedens & subsequens. Ergo cum in uno homine inveniantur gratia præveniens, & subsequens, videtur quod oporteat plures gratias in uno & eodem homine esse.

3. Præterea. Omnis forma multiplicatur secundum differentiam eorum quæ informat, cum diversorum diversæ sint formæ. Sed gratia est forma virtutum. Ergo videtur quod cum virtutes sint diversæ, oporteat gratias esse multiplicatas.

4. Præterea. Ea quæ differunt secundum genus, non reducuntur in idem principium. Sed virtutes à donis etiam secundum genus differunt, similiter à gratiis sacramentalibus. Ergo videtur quod à diversis gratiis oriuntur.

5. Præterea. Gratia datur in diversis sacramentis, & una habita, non habetur alia. Quæcumque autem hoc modo se habent quod unum est sine altero, oportet esse numerata, & distincta. Ergo videtur quod gratia non manet tantum una, sed per essentiam multiplicatur.

Sed contra. Perfectio proportionatur perfectibili. Sed gratia perficit immediate essentiam animæ, ut dictum est. Cum igitur essentia animæ sit una multiplicata in potentiis, videtur quod etiam gratia sit una multiplicata in virtutibus.

Præterea. Illud quod convenit diversis secundum eandem rationem, oportet quod ab uno principio procedat. Sed eadem ratio merendi est in omnibus actibus meritoriis. Cum igitur gratia sit principium merendi, videtur quod gratia sit una tantum, non multiplicata.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod secundum illos qui dicunt, quod gratia, & virtus realiter non differunt, sed solum ratione, necesse est ponere quod gratia multiplicetur per essentiam secundum numerum virtutum: quamvis enim possint dicere, quod multiplicatio non contingit in virtutibus secundum quod habent rationem virtutum; nihilominus tamen oportet dicere, quod sint plures gratiæ per esse diversæ. Sed secundum opinionem quæ ponit gratiam à virtute differentem, est multiplex modus dicendi.

Quidam enim, qui ponunt gratiam non esse sicut in subjecto in essentia animæ, necesse habent ponere quod sint plures gratiæ secundum numerum virtutum distinctæ: non enim potest esse ut idem accidens numero in diversis substantiis sit. Si autem gratia ex eo quod est forma virtutum, ponitur in eodem subjecto in quo est virtus, necesse est quod sit in quolibet potentia in qua est virtus, vel per prius, vel per posterius, secundum quod quædam virtutes per prius à gratia informantur quam aliæ: non enim potest dici, quod sit idem lumen numero quod colores diversorum corporum informat, nisi secundum quod accipitur in uno subjecto continuo, quod est aer; si enim consideretur ut receptum in superficie diversorum corporum, oportet de necessitate quod secundum numerum multiplicetur, cum accidens multiplicetur multiplicato subjecto.

Quidam vero dicunt, quod gratia est sicut in sub-

jecto in essentia animæ, in qua omnes potentie sicut in centro colliguntur: unde sicut linea, & radii in centro ununtur, & secundum quod magis à centro elongantur, plus ab invicem dividuntur; ita etiam gratia secundum quod in essentia animæ consistit, est una; multiplicatur autem secundum quod in diversas potentias diffunditur, in quibus rationem virtutis accipit. Sed ista opinio videtur supponere quod gratia, & virtus non differant secundum speciem, vel rationem, sed solum secundum diversitatem subjecti. Si enim alterius rationis est virtus à gratia, tunc ex multiplicatione virtutum in potentiis non sequeretur multiplicatio gratiæ: quia diffusio gratiæ in potentiis nomen, & rationem gratiæ amitterent: sicut si lumen à centro diffundatur per diversos radios, quamdiu manet in ratione luminis, dicitur lumen multiplicari, & dividi; sed si secundum diversas lineas diffusionis luminis, lineæ rationes diversorum colorum acciperent; tunc diceretur quod lumen esset tantum unum, scilicet quod est in centro, & quod colores in diversis lineis causati essent multi: nisi forte dicant, quod diffusio gratiæ in potentias est præter essentiam virtutum, sicut diffusio lucis super colores, qui efficiuntur per eam visibiles actu, secundum quorundam opinionem, est præter essentiam coloris, ut dictum est; ut sicut lux super colores diffusa præbet coloribus quod sint visibiles actu, ita diffusiones gratiæ quasi quidam radii eius præbeant virtutibus efficaciam merendi: sic enim radius gratiæ receptus in potentia retineret rationem lucis, & differret à gratia quæ est in essentia animæ, sicut lumen à luce; & ita gratia prout esset in essentia animæ, esset una; sed gratiæ diffusæ in potentias essent multe. Sed hoc non potest stare: quia ad actum meritorium non requiruntur nisi duo: unum est ut agens actum dignus vita æterna habeatur; & ad hoc sufficit gratia quæ est in essentia animæ animam gratificans: aliud est ut actus ipse sit in debito fine relatus, & debitis circumstantiis vestitus; & ad hoc sufficit virtus: unde ad eliciendum actum meritorium non requiritur aliquid præter gratiam quæ est in essentia, & virtutem quæ est in potentia animæ, quasi aliqua diffusio gratiæ ab essentia animæ perveniat in potentiam præter virtutem.

Et ideo alii melius dicunt, quod scilicet gratia est una tantum, non multiplicata; virtutes autem sunt multe: quæ quidem virtutes in aliud genus cadunt, quamvis à gratia procedant; sicut etiam potentia animæ ab una essentia procedunt; nec tamen est eadem ratio potentia, & essentia: & ideo potentia multiplicatur, sed essentia manet tantum una: quæ omnes conveniunt in hoc quod convenit eis secundum quod sunt in tali essentia; distinguuntur autem secundum diversas rationes potentialium: ita etiam & virtutes conveniunt in ratione merendi, quæ convenit eis secundum hoc quod à gratia oriuntur; differunt autem secundum proprias rationes, in quantum virtutes sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod à Apostolis large accipit gratiam pro quolibet dono quod nobis gratis à Deo conferitur: & hæc quidem dona, plura, & divisa sunt. Sed nos hic loquimur de gratia, prout est primum donum, gratiam faciens animam.

Ad secundum dicendum, quod quocumque modo distinguatur, maxime quantum ad duas distinctio-

Ex Edit. P. NICOL. (a) Nihil tale in Isidoro nunc occurrit; sed quod numero nummus nomen dedit, & à sui frequentatione vocabulum indidit, quia nempe plerumque materia numeri nummus est, ut ex Lib. III. Etimol. vel originum, cap. iv. colligitur; nec significat quidquam nutus memoris, id est divisionis.

Ad primum ergo dicendum, quod à Apostolis large accipit gratiam pro quolibet dono quod nobis gratis à Deo conferitur: & hæc quidem dona, plura, & divisa sunt. Sed nos hic loquimur de gratia, prout est primum donum, gratiam faciens animam.

Ad secundum dicendum, quod quocumque modo distinguatur, maxime quantum ad duas distinctio-

Ad primum ergo dicendum, quod à Apostolis large accipit gratiam pro quolibet dono quod nobis gratis à Deo conferitur: & hæc quidem dona, plura, & divisa sunt. Sed nos hic loquimur de gratia, prout est primum donum, gratiam faciens animam.

Ad secundum dicendum, quod quocumque modo distinguatur, maxime quantum ad duas distinctio-

tionem, operans, & cooperans; præveniens, & subsequens non differunt essentia, sed ratione tantum: una enim forma est quæ dat esse, & quæ est principium operis: unus etiam habitus est qui elicit actum extrinsecum, & intrinsecum: unde eadem gratia est operans, & cooperans. Nec dicitur præveniens, & subsequens propter ordinem gratiæ ad gratiam, sed propter ordinem effectus ad effectum.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de forma quæ est intrinseca rei, & quasi constitutiva ejus; sic autem gratia non dicitur esse forma virtutum, sed quasi principium à quo virtutes formaliter oriuntur.

Ad quartum dicendum, quod diversitas virtutum, & donorum accipitur tantum secundum diversitatem actuum. Conveniunt autem actus in ratione merendi: unde oportet quod primum principium à quo rationem merendi habent, sit unum, & quod diversitas eorum in genere, & in specie, sit ex diversitate actuum, & objectorum.

Ad quintum dicendum, quod gratia in diversis sacramentis datur ad diversos effectus, secundum quod plures infirmitates ex peccato consequuntur, contra quas præcipue gratiæ sacramentales ordinantur: & ideo sicut differt virtus à virtute per hoc quod ordinatur ad diversum actum; ita etiam differt una gratia sacramentalis ab alia per hoc quod ad diversos effectus ordinatur: unde sicut ex multiplicatione virtutum non sequitur multiplicatio gratiæ; ita etiam ex multiplicatione sacramentorum non sequitur multiplicatio illius gratiæ de qua nunc loquimur: quia illæ etiam perfectiones quæ in diversis sacramentis conferuntur, quædam emanationes sunt il-

lius gratiæ de qua nunc loquimur, sicut & virtutes. Sed quia non habent propria nomina, ideo communiter nomine gratiæ nuncupantur.

EXPOSITIO TEXTUS.

HÆC est gratia operans, & cooperans: de qua scilicet supra mentionem fecit cum dixit: *Ipsa gratia prævenit, ut pie vivamus, & subsequetur, ut semper cum illo vivamus.*

Voluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid non admittendum, vel adipiscendum. Sciendum, quod hic non diffinit voluntatem quæ est potentia, sed voluntatem quæ est actus: hoc enim commune est fere in omnibus potentiis animæ, ut eodem nomine potentia, & actus nominetur: & sic fere per totum hic voluntas accipitur.

Sed ipsa mereatur augeri, ut aucta mereatur & perfici. De augmento gratiæ eodem modo potest disputari sicut de augmento charitatis, de quo supra dictum est I. Lib. dist. xvii.

Cætera potest homo volens; credere autem non nisi volens. Intelligendum est de actibus exterioribus, non autem de interioribus: quia diligere nullus potest nisi volens.

Sequitur tardus, aut nullus affectus. Iste affectus est per modum operationis præcedentis habitum virtutis, quia ex sola deliberatione rationis procedit; sed affectus perfectus qui delectationem habet, est in operatione quæ sequitur habitum, quia *signum oportet habitus accipere (1) stentem in opere delectante, ut in II. Ethic. Philosophus dicit.*

DISTINCTIO XXVII.

Quid sit ipsa gratia, & quomodo mereatur augeri, quæritur.

SI vero quæritur, quomodo illa gratia præveniens mereatur augeri, cum nullum meritum sit sine libero arbitrio, & quid sit ipsa gratia, an virtus, an non; & si virtus, an actus, vel non: ut hoc aperte insinuari valeat, præmittendum est, tria esse genera bonorum. Alia namque sunt magna, alia minima, alia media, ut Augustinus ait in I. Lib. Retractionum. „Virtutes, inquit, quibus recte vivitur, magna bona sunt. Species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt. Potentiæ vero animi, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Item, ibid. Virtutibus nemo male utitur. „Cæteris autem bonis, idest mediis, & minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest: & ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non nisi bene uti possumus. Nemo autem bene utendo male utitur. Non solum autem magna, sed etiam media, & minima bona esse præstitit bonitas Dei. „Ecce habes tria genera bonorum distincta.

In quibus bonis sit liberum arbitrium.

QUÆritur autem in quibus bonis contineatur liberum arbitrium. De hoc Augustinus in I. Lib. Retractionum, ut sup. ait ita. „In mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium: quia & magis, le illo uti possumus; sed tamen tale est ut sine illo recte vivere nequeamus. Bonus autem usus ejus, jam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus potest. Et quia bona & magna, & media, & minima ex Deo sunt; sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, qui virtus est, & in magnis numeratur bonis. „Attende diligenter quæ dicta sunt, & confer in unum; sic enim aperietur quod supra quærebatur. Dixit equidem, opus virtutis esse bonum usum illorum bonorum quibus etiam non bene uti possumus, idest mediorum, in quibus posuit liberum arbitrium, cujus quoque bonum usum dixit esse virtutem: quod si est, non est ergo opus virtutis quod supra dixit: quia aliud est virtus, aliud opus ejus.

(2) *De virtute, quid sit, & quid actus ejus.*

HIC videndum est, quid sit virtus, & quid sit actus, vel opus ejus. Virtus est, ut ait Augustinus, Lib. II. de lib. arbit. cap. xviii. bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur: quam Deus

(1) *Al. finientem. (2) Hinc exordium habet distinctio xxviii, apud Magistrum.*

Deus solus in homine operatur; ideoque opus Dei tantum est, sicut de virtute justitiæ Augustinus docet super illum locum Psalmi cxviii. „Feci judicium, & justitiam, ita dicens: Justitia magna virtus animi est, quam non facit in homine nisi Deus. Ideoque cum ait Propheta ex persona Ecclesiæ, Feci justitiam, non ipsam virtutem, quam non facit homo, sed opus ejus intelligi voluit. „Ecce aperte insinuat hic quod justitia in homine non est opus hominis, sed Dei: quod & de aliis virtutibus itidem intelligendum est.

De fide itidem dicit, quod non est ex homine, sed ex Deo tantum.

NAM de gratia fidei Ephesiis scribens Apostolus, similiter fidem non ex homine, sed ex Deo tantum esse asserit, inquit, cap. ii. 8. „Gratia estis salvati per fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim donum est: quod à Sanctis ita exponitur. Hoc, idest fides, non est ex vi naturæ nostræ, quia donum Dei pure est. Ecce & hic manifeste traditur quod fides non est ex libertate arbitrii, sive ex arbitrio voluntatis: quod superioribus consonat, ubi dictum est, gratiam prævenientem, vel operantem, esse virtutem, quæ voluntatem hominis liberat, & sanat. Unde Augustinus in Lib. de spiritu, & littera, cap. ix. ait: „Justificati sumus non per liberam voluntatem, sed per Christi gratiam: non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, & sana voluntas impleat legem.

De gratia quæ liberat voluntatem: quæ si virtus est, virtus non est ex libero arbitrio, & sic non est motus mentis.

SI igitur gratia quæ sanat, & liberat voluntatem hominis, virtus est, vel una, vel plures; cum ipsa gratia non sit ex arbitrio voluntatis, sed eam potius sanet, ac præparet, ut bona sit; consequitur ut virtus non ex libero sit arbitrio, & ita non sit motus, vel affectus mentis; cum omnis motus, vel affectus mentis sit ex libero arbitrio; sed bonus ex gratia, & libero arbitrio, malus vero ex libero arbitrio tantum: ut enim ait Augustinus in I. Lib. Retractat. cap. ix. „homo sponte, & libero arbitrio cadere potuit, non etiam resurgere. „Item in Libro de duabus Animabus, cap. xii. „Animæ si libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur; earum (3) peccatum tenere non possumus. „Hic aperte ostenditur quod motus animi sive ad bonum, sive ad malum ex libero arbitrio est. Ideoque si gratia, vel virtus motus mentis est, ex libero arbitrio est. Si vero ex libero arbitrio vel ex parte est; jam non solus Deus sine homine eam facit. Propterea quidam non inerudite tradunt, virtutem esse bonam mentis qualitatem, sive formam, quæ animam informat; & ipsa non est motus, vel affectus animi, sed ea liberum arbitrium juvatur, ut ad bonum moveatur, & erigatur; & ita ex virtute, & libero arbitrio nascitur bonus motus, vel affectus animi; & exinde bonum opus procedit exterius. Sicut pluvia rigatur terra, ut germinet, & fructum faciat; nec pluvia est terra, nec germen, nec fructus; nec terra germen, vel fructus; nec germen fructus: ita gratis terræ mentis nostræ, idest arbitrio voluntatis, infunditur pluvia divinæ benedictionis, idest inspiratur gratia: quod solus Deus facit, non homo cum eo: quia rigatur voluntas hominis, ut germinet, & fructificet, idest sanatur, & præparatur, ut bonum velit, secundum quod dicitur operans; & juvatur ut bonum faciat, secundum quod dicitur cooperans: & illa gratia virtus non incongrue nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat, & adjuvat.

Quod sensu dicantur ex gratia incipere bona merita, & de qua gratia hoc intelligatur.

CUM vero ex gratia dicuntur esse bona merita, & incipere; aut intelligitur gratia gratis dans, idest Deus, vel potius gratia gratis data, quæ voluntatem hominis prævenit. Non enim magnum esset, si hæc à Deo dicerentur esse, à quo sunt omnia; sed potius ejus gratia gratis data intelligitur, ex qua bona merita incipiunt: quæ cum ex sola gratia esse dicantur, non excluditur liberum arbitrium: quia nullum meritum est in homine quod non sit per liberum arbitrium. Sed in bonis merendis causæ principalitas gratiæ attribuitur: quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium, & sanatur, atque juvatur voluntas hominis ut sit bona.

Quod bona voluntas gratia principaliter est, & etiam gratia est, sicut & omne bonum meritum.

QUÆ ipsa etiam donum Dei est, & hominis meritum, immo gratia: quia ex gratia principaliter est, & gratia est. Unde Augustinus ad Sixtum presbyterum, epist. cv. „Quid est meritum hominis ante gratiam; cum omne bonum nostrum meritum non in nobis faciat nisi gratia? „Ex gratia enim, ut dictum est, quæ prævenit, & sanat arbitrium hominis, & ex ipso arbitrio procreatur in anima bonus affectus, sive bonus motus mentis; & hoc est primum bonum hominis meritum. Sicut verbi gratia ex fidei virtute, & hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus, & remunerabilis, scilicet ipsum credere; ita ex charitate, & libero arbitrio alius quidam motus provenit, scilicet diligere, bonus valde. Sic de cæteris virtutibus intelligendum est: & isti boni motus, vel affectus, & nostra merita sunt, & dona Dei; quibus meremur & ipsorum augmentationem, & alia quæ consequenter hic, & in futuro nobis apponuntur.

Ex qua ratione dicitur fides mereri justificationem, & alia.

CUM ergo dicitur fides mereri justificationem, & vitam æternam, ex ea ratione dictum accipitur, quia per actum fidei meretur illa. Similiter de charitate, & de justitia, & de aliis accipitur. Si enim fides ipsa

(3) *Nicolai peccato teneri.*